FLORA.

№ 36.

Regensburg. 28. September. **1844.**

Inhalt: Hasskarl, Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes. (Continuatio.) — Heer und Regel, schweizerische Zeitschrift für Land- und Gartenbau.

Anzeige von Kummer in Leipzig.

Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes. Auctore J. C. HASSKARL.

(Continuatio.)

Xanthoxyleae A. Jss. Endl. Gen. pag. 1145. Ench. 608.

Brucea sumatrana Rxb.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 5970., sed flores omnes partibus saepe trimeri cf. Bl. Bydr. 1166.

Quoad spec. cf. Sprg. Syst. veg. I. 441. DeC. Prdr. II. 88. 3. Bl. Bydr. 1167. Rmph. amb. VII. 27—29. t. 15. ubi descriptio bona, foliola autem in nostra juvenilia sunt 3,5 poll. longa, 1,5 poll. lata, racemi subramosi, gynophorum sanguineum. Nomen sundense: *Kandong pötjang* (moschus javanicus).

Picrasmus javanicus Bl.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 5972. g., antequam videram fructus et ego genus hocce ad Xanthoxylum retraxeram, nunc autem, dum fructus baccati indehiscentes, e carpellis 5 subdistinctis aut abortu unico, et flores 5—4-narii obviam mihi venerunt, mentem mutavi et *Picrasmum* genus distinctum habeam! — Nomen sundense: *Kibaragma.*

Acronychia laurifolia Bl.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 5978. Bl. Bydr. 244., ubi fructus majori jure drupa dicitur, uti et Wght. et Arn. Prdr. I. 146. III. adnot. laudant.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. 245. Bl. Cat. hrt. Buitenz. 27. et 63. Jambolifera resinosa Lour. 1. p. 284., quae dubiose citatur, a Wght. et Arn. l. c. 147. 475. ad finem generis diversi habetur cf. Wlp. Rprt. I. 261. 5202. 3. erratim huc loco p. 523. 5978. 1. collocat.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0195-0

Caulis fruticosus; rami teretes fastigiati glabri; folia opposita hinc alterna cum petiolo brevi pollicari subarticulata coriacea rigida, marginibus concavo-conniventibus 3,5 — 5,0 poll. longa, 1,5 — 2,5 poll. lata utrinque glaberrima sublucida integerrima reticulata; stipulae nullae; inflorescentia ad apicem ramulorum axillaris corymbosa trichotoma, folium aequans aut superans, ad ramificationes bracteis minutissimis squamaeformibus praedita; pedunculi 0,3 — 0,4 poll. longi teretes apice incrassati in calycem minutum 4-fidum glabrum; alabastrum corollinum tetragonum obtusum valvatum; petala basi distantia, calycis laciniis alterna, erecta, supra medium patenti-reflexa linearia acutiuscula subcanaliculata apice inflexo subhamata viridiflavescentia glandulis olei aromatici extus punctata glabra; stamina 8, uti petala ad basin disci hypogyni tumosi glandulosi flavescentis inserta, alterna petalis opposita; filamenta in alabastro erecta alterna minora, in anthesi supra medium patentia subaequalia basi ad medium sericeo-villosa; antherae ovatae, dorso supra basin insertae versatiles, basi subbilobae longitudinaliter rima laterali duplici dehiscentes; germen sericeo-villosum globoso-conicum apici disci insertum 4-loculatum; gemmulae in loculis singulis binae; stylus terminalis filiformis; stigma subincrassatum; drupa globoso-subtetragona apice 4-sulcata glandulis oleosis ubique adspersa nucleo 4-loculato crustaceo-subligneso, loculis 1-raro 2-spermis, semina nigra, integumento crustaceo crasso.

Nomen sundense: *Salier.*

Philagonia sambucina Bl.

Quoad spec. cf. Bl. Cat. hrt. Buitz. 21. et 112. Bl. Bydr. 250. Wlp. Rprt. I. 523. 5983. 1. (Ph. procera Bl. DeC. Prdr. II. 90.) Foliola oblongo-lanceolata acuminata 5-paria! — Nomen malaicum et sundense: *Kibajawak* derivatum a verbis *Ki*-lignum, *bajawak* Monitor bivittatus!

Connaraceae RBr. Endl. Gen. pag. 1139.

Connarus? nitidus Hsskl.

Quoad spec. cf. C.? lucidus Hsskl. Adnot. 1091. Hsskl. Catal. hrt. bog. 1091. 1. an idem ac *C. lucidus* W. Jack. Wlp. Rprt. I. 561. 8., qui differre videtur: foliolis emarginato-acuminatis, paniculis terminalibus ferrugineis! — An Omphalobii sp.?

Frutex scandens, foliis impari-pinnatis 18 — 24-jugis glabris, foliolis oblongis basi subcordatis apice retusis supra lucidis subtus glaucis, petiolis ramulisque puberulis, racemis axillaribus congestis

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0196-6

subpaniculatis (nec campanulatis Hsskl. Adn. ex errore typographico!), floribus pentagynis, calyce colorato; fructus?..? — Folia juvenilia colore persicino laetissimo excellentia!

Burseraceae Kth. Endl. Gen. pag. 1135. Ench. 601.

Canarium hispidum Bl. β. majus Hsskl.

Quoad speciem cf. Bl. Bydr. 1163. Schult. VII. 81. et 1624. ubi descrpt. *Variet.* (*scabrum* Bl. l. c.) Wlp. Rprt. I. 559. 6.

A descriptione speciei l. c. nostra differt: Folia ad 30 poll. longa 10 — 12juga; petiolus ad jugum primum usque 7 — 10 poll. longus crassitie 0,5 poll. subtrigonus basi dilatatus et incrassatus rubiginosus; foliola costis 20 — 30 subtus (in vivis) viridia, jugi inferioris subalterna, late ovata aut ovato-elliptica acuminata 4,5 poll. longa, 2,7 poll. lata, superiorum jugorum ad 10 poll. longa, 2,7—3,0 poll. lata, omnia basi leviter cordata; bracteolae lineari-lanceolatae 0,2 — 0,25 poll. longae marcescentes caducae; pedunculi 0,15 poll. longi; petala 0,4 poll. longa cinnabarino-lateritia, intus glabra marginibus inflexa; filamenta 0,25 — 0,3 poll. longa; antherae acutae ciliatae introrsae flavo-fuscae; pili disci punicei splendentes; — cf. hasce differentias cum descriptione varietatis l. c. p. 1625., a qua differt nostra: foliis 10 — 12-jugis longioribus, foliolis supra haud glabris sed pilis patentibus minutis obsitis; eorumque dimensione et acumine haud abrupte sed sensim attenuato; drupa pilis cinnamomeis strigosa caducis; gemmulis in germinis et fructus immaturi loculis geminis pendulis juxtapositis. — Nomen sundense: *Biru* i. e. coeruleum!

Anacardiaceae Lndl. Endl. Gen. pag. 1127. Ench. 598.

Sorindeja glaberrima Hsskl.

Quoad spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 182. Catal. hrt. bog. 1072. 1. an non S. madagascariensis DeC. Prdr. II. 80. 1. Wght. et Arn. Prdr. I. 170. 528. Wlp. Rprt. I. 550. 5895. 1. — In horto bogoriensi arbor mascula tantum adfuit, quae autem foliola cuneato-oblonga (Wght. et Arn. l. c.) haud praebet, etsi in reliquis partibus magnopere conformis esse videtur.

Caulis arboreus humilis; rami nigrescentes rimosi flexuosi; folia pinnata cum impari aut abruptim; rhachis 3 — 6 poll. longa, teres

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0197-2

sublignosa glabra brunnea; foliola 2 — 3-juga subopposita breviter petiolulata, petiolulis 0,25 — 0,4 poll. longis subtus convexis supra canaliculato-planis, oblonga, elliptica aut obovata, obtusa, emarginata aut bifida (in terminalibus), aut imo obtuse breviterque acuminata, nunc 2 — 5 poll. longa, 0,75 — 1,75 poll. lata, nunc 2,0 poll. lata, nunc et 6,0 poll. longa et 3,0 poll. lata, coriacea utrinque glaberrima integerrima undulata; inflorescentia axillaris aut lateralis paniculata, basi distiche decrescenti-ramosa; rami patentes spicato-racemosi, axis communis fere pedalis, ramus inferior 3 poll. longus, sanguinei glabri; flores in ramulis brevibus bini ternique aut rarius solitarii una cum pedicellis vix 0,1 poll. longis teretibus purpurei odorem Pelargoniorum quorundam referentes; calyx cyathimorphus (nec urceolatus Wght. Arn. Endl. Gen. 5895.) minutus obsolete quinquedentatus intus disco tenui vestitus; petala 5 (florum centralium ramorum 6) ante anthesin valvata, dentibus calycis alterna ovato-lanceolata acuta, in anthesi patentia; stamina 10 — 15 — plura; filamenta brevia erecta subulata purpurea; antherae filamentis longiores biloculares oblongae basi emarginatae ibique insertae, apice emarginatae; rudimenta pistilli vix ulla. Arbor, certe introducta, in horto bogoriensi tantum a me reperta, a Sundensibus ob similitudinem habitus cum *Cupaniae* speciebus, harum nomine: *Kihoëh* dicta!

Rhus succedaneus L. β. discolor Hsskl.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. II. 68. 19.; quoad *variet.* Hsskl. Diagn. nov. 184. Catal. p. 245. adnot. (2.). R. succedaneus Bl. Bydr. 1164. nec L. Foliolis subulato-acuminatis subtus glaucis opacis (nec concoloribus) 4 — 7-jugis, integris aut rarius hinc inde plus minus profunde incisis, paniculis brevibus terminalibus fastigiatis, fructibus a latere compressis transverse ovalibus, seminibus osseis. — E. Japonia introducta arbor.

Rhus pubiger Bl.

Quoad speciem cf. Bl. Bydr. 1165. Wlp. Rprt. I. 554. 26. sed foliola saepissime oblonga aut oblongo-lanceolata supra pilis singulis adpressis praedita nec pubescentia. Species *Rh. juglandifolio* Wlld. DeC. Prdr. II. 68. 23. proxima, at differt foliolis obtusisusculis nec acuminatis; a Rh. striato R. et P. cui pariter affinis e diagnosi in DeC. l. c. 24. haud rite distingui protest, e descriptione autem in Roem. et Schlt. VI. 619. est omnino diversa.

Arbor mediocris succo lacteo tota foeta; rami patenti-adscendentes, cortice cinereo molli, juniores virides holosericei; folia juvenilia rubentia dein viridia, marcescentia coccinea, alterna, pinnata cum im-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0198-8

pari; foliola breviter petiolulata, hinc subalterna plerumque opposita 3 — 6-juga, oblongo-lanceolata integerrima basi inaequalia, supra glabriuscula subtus holosericea una cum rhachi et petiolulis; inflorescentia terminalis paniculata ramosa e paniculis plurimis in ramo fastigiatis composita; panicula ramosissima erecta vaga patens, multiflora; flores in ramulis dense sessiles minuti; calyx campanulatus quinquefidus, laciniis ovatis, albidus; corolla pentapetala alba; petala calycis laciniis triplo majora iisque alterna ovato-oblonga; stamina 5 petalis alterna; filamenta albida tenuia, apice inclinata conniventia, apice subuliformia; antherae cordatae, complanatae, basi affixae 2-loculatae latere longitudinaliter dehiscentes; germen liberum (in specimine nostro semper sterile) ellipsoideum, disco orbiculari luteo calloso cinctum 1-loculatum effoetum; stylus subnullus; stigmata 3 approximata ab antheris conniventibus plerumque tecta; fructus ... (flores post fovillae ejaculationem decidui.) Arbor etsi in Javam introducta forsan e China aut Japonia (nec e Java ipsa enata Wlp. l. c.), tamen ob similitudinem habitus cum specie javanica hujus generis scandente (*R. nodoso Bl.*) eodem nomine: *Kadongdong* a Sundensibus salutatus.

Gluta Benghas L.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 5911. et 5912. Stagmaria Jck. ex Bl. Bydr. 1159. sed fructus baccatus nec drupaceus! Genus a *Stagmaria Jck.* nullo signo diversum!

Quoad spec. cf. Wlld. Sp. pl. I. 1120. Roem. et Schlt. V. 471. Rmph. amb. II. 259. t. 86. Nor. in Verhand. Bat. Genootsch. V. 57. — 63. Sprg. S. Veg. III. 79. DeC. Prdr. I. 501. Bl. Bydr. l. c. Stagmaria verniciflua Jck. Wlp. Rprt. I. 555.

Folia 5 — 10 poll. longa, 2 — 3 poll. lata supra lucida transverse nervosa plerumque obtusa basi attenuata aut angustiora utrinque attenuata; fructus baccatus, diametro 1,7 — 1,5 poll. stipitatus extus ferrugineo-lepidotus corticatus difformiter tuberculato-rugosus; semen depresso-globosum pendulum, integumento celluloso-suberoso, interno glabro laevi lutescenti, diametro transversali 1,2 poll., verticali 0,75 poll.; embryum homoideum; cotyledones crassissimae subaequales hemisphaericae carnosae ad apicem saepe concretae, radicula minima subconica (plumula vix conspicua) ad latus versus extremitatem inferiorem seminis spectans subcurva.

Liceat hoc loco inserere descriptionem hujus arboris insignis, jam ante centuriam dimidiam ab indefesso botanices javanicae scrutatore Noronha (l. supr. cit.) datam, ab omnibus autem utut videtur botanicis posterioribus praetervisam.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0199-6

„Ex radicibus crassis, diffuse terram ambientibus, arbor erigitur procera frondissima ampla ad altitudinem fere quinquaginta pedum excrescens. Truncus crassissimus inaequalis albicans, nigricantibus magnis maculis hinc illinc intinctus. Rami umbellae modo per amplitudinem disperguntur, subrotundi verrucosi, sulcis et excavationibus variegati. Folia sunt oblonga subrotunda basi inaequali ad latera nervulis ornata costas aemulantibus, vena maxima intermedia exalbida, colore viridi atrescenti, petiolis longis appensa, foliis Mangiferae eduli quam proxime similia, transversim ex ramulis exeuntia, tribus, vel plus, congregatis. Flores sunt stellati albicantes squalidi pusilli, racematim nascentes, thyrsi instar. Corolla monopetala quinquefida, foliolis ad intra incurvis. Stamina octo capillaria pallida. Antherae colore aureo praeditae. Calyx monophyllus retroflexus. Pistillum parvulum rectiusculum, fructum post elapsum florum sustinens, magnitudine castaneae ordinariae, scabridum verrucosum, cordis figuram tantoties aliquantulum imitantem, testiculi aliquoties canis, colore subrufo claro, longo stipite affixum. Hic fructus similis partim videtur *Cynometrae* Linnaei, *Namnam* et partim *Mangae sylvestri.* Pars ejus exterior est carnosa mollis, succum virosum fundens, primum albicantem postea rufescentem et demum nigricantem. Nucleus est duriusculus subrotundus, avellanae magnitudinis intus amygdalaceus sicuti in *Manga*, *Namnam* et aliis ad familiam *Pistaciorum* spectantibus. Si structura et omnes ejus partes constitutivae probe considerentur, procul dubio inter *Mangarum* genus rectissime illi statuetur locus.“ *Cynometrae* affinem dicit arborem, incaute a Linnaeo ad *Ficos* relatam; dein de noxia ejus qualitate dissertat et postremo dicit: „Nomen, huic arbori a me inditum, est: *Manga deleteria sylvestris fructu parvo cordiformi.* Rumphius Amb. II. 259. t. 86. arborem vernicis exhibet, *Caju sanga*, et ait, in Java eandem vocari *Ranghas;* cum javanica equidem optime figuratione convenit, si folia moluccensis minus longa et mucronata (!!) essent.“ — — (Verhandel. l. c. 57 — 59.)

De nomine specifico Linnaeano „*Benghas*“ hoc loco observandum erit, id sine dubio pro *Rünghas* uti Sundenses et Malaii hanc arborem dicunt (nec Ranghas, uti Noronha et Rumphius ll. cc. scripsere) ortum esse.

Mangifera indica L.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. 1157. Dtr. Sp. pl. I. 115

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0200-2

Varietates plures in vicinitate pagorum ubique coluntur et uti Rumph. (amb. I. 93.) jam observat prae primis fructibus tantum sunt distinguendae. Unam in horto bot. bogoriensi reperi nomine specifico *M. Linnaei* a clr. Korthals praeditam (et a me in Catal. hoc nomine receptam) quae fructibus maximis 0,9 ped. longis aurantiacis, semineque tenui complanato distincta et ab incolis *Manga bengala* (e Bengalia orta) s. *M. menjala* dicitur. Magnopere haec affinis videtur *M. dodol* Rmph. l. c. 94. 1.; sed in horto bog. adest altera hoc nomine malaico praedita varietas fructibus minoribus etsi suavissimis, quae a descriptione Dtr. l. c. hisce differt: foliis petiolatis, petiolo 0,5 — 1,5 poll. longo, submembranaceis oblongo-lanceolatis utrinque acutis aut acutiusculis 3 — 6,5 poll. longis, 1,5 — 1,75 pll. latis; panicula elongata laxa, pedem saepe excedente, ramulis patentibus minute puberulis flavescenti-viridibus, floribus sparsis; calyce puberulo, laciniis primo patentibus dein conniventibus; petalis primo suberectis dein patentibus apice reflexis, postremo conniventibus, pallide flavescentibus, medio croceis, oblongo-lanceolatis basi cuneatis, apice acutiusculis 0,05 poll. longis; filamento petalis breviori flavescenti; anthera terminali violacea; stylo primo germini incumbente demum erecto filiformi albescenti.

A praecedenti differt *Manga papan* habitu toto graciliori, petiolo gracili 1,5 — 2,0 poll. longo; foliis oblongo-lanceolatis utrinque acutis apice plerumque acuminatis 6 — 10 poll. longis, 2,0 — 2,6 poll. latis; panicula laxiori nutante, ramulis glabris persicinis, petalis basi minus attenuatis; fructibus viridibus basi incrassatis medio sinuatis apice attenuatis, 2,8 poll. longis 1,8 poll. latis, carne crocea, putamine 2,5 poll. long., 1,3 poll. lato, 0,8 poll. crasso! — Huic diversa *M. talohr* (vitellina) habitu robustiori, petiolis 1,5 — 3,0 poll. longis, foliis oblongis aut elliptico-oblongis 6 — 10 poll. longis, 2,5 — 3,0 poll. latis rigidis opacis; panicula nunc foliata apice tantum cernua ramulis pallidioribus, fructu ovoideo minus sinuato intus carne vitellina amoena foeto.

Manga liemus s. Batjang a descriptione Dtr. l. c. differt: petiolo 1 — 1,5 poll. longo, foliis oblongis s. oblongo-lanceolatis, 5,5 — 9,0 poll. longis, 2 — 3 poll. latis, utrinque acutis rigidissimis; panicula circa gemmam abortivam bina ternave, 5 — 7 poll. longa, ramis patentibus glabris sanguineis 3 — 4 poll. longis, cymoso-dichotomis, floribus paucis majoribus, calyce glabro sanguineo campanulato, dein patenti; petalis oblongo-lanceolatis kermesinis aut purpurascen-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0201-8

tibus apice roseis, dein sanguineis apice flavescentibus 0,28 poll. longis, 0,28 poll. latis; stamine fertili petalorum longitudine, filamento basi sanguineo apice flavescenti; anthera erecta basi cordata biloculata violacea, loculis lateraliter rima dehiscentibus longitudinali; stylo filamento breviori, drupa compresso-subglobosa. — Huc Rmph. amb. I. 94. 2. et 3. t. 25. nec autem t. 61. huc referenda Wlp. Rprt. I. 555. 3. secundum Wght. et Arn. Prdr. I. 170. 527., quae ab ipsis autoribus et majori jure ad Spondias referta etsi dubiose!

Manga djepung a descrpt. Dtr. l. c. differt foliis 5 — 8 poll. longis, 1,5 — 2,0 poll. latis; panicula erecta pyramidali; haec cum praecedente ab omnibus reliquis floribus robustioribus diversa videtur.

Mangifera foetida Lour.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. 1158. Dtr. I. 116. Rmph. amb. I. 98. t. 28. A descrpt. Dtr. l. c. differt:

Petiolo supra plano inde fere semitereti 1 — 2 poll. longo; foliis elliptico oblongis utrinque acutis aut breviter acuminatis 6 — 11 poll. longis, 2 — 4 poll. latis, rigidis, nervis prominentibus; panicula solitaria 6 — 9 poll. longa, ramis divaricatis glabris flavescenti-viridibus; floribus in ramulis subcymosis; calyce campanulato, laciniis margine versus apicem revolutis; petalis lineari-oblongis acutis 0,2 poll. longis, 0,04 poll. latis albido-flavescentibus, medio laete purpureo coloratis; stamine fertili petalis breviori, apice purpureo; anthera incumbenti biloculata violacea; germine flavescenti-viridi, stylo filiformi albescenti; fructu subnephroideo foetidissimo viridi dein lutescenti. — Nomen malaicum: *Kawinie*, sundense: *Kemang*.

Erythrostigma diversifolia Hsskl.

Quoad Gen. cf. Hsskl. Diagn. nov. 183. Catal. hrt. bog. 1182. 1. Endl. Gen. Spp. III. 5915/1. *Coniogeton Bl.* differt germinibus 4 — 5 et drupa staminumque numero; *Semecarpus L.* stylis 3, nuce toro incrassato carnoso suffulto; *Mangifera L.* drupa, cotyledonibus lobatis, defectu arilli carnosi et disco nectarifero; *Anacardium L.* staminum numero et toro incrassato-carnoso pariter et defectu arilli etc. — Nomen genericum a verbis ἐρυθρος et στιγμη derivatum ob puncta minuta sanguinea in foliis et praeprimis cotyledonibus obvia.

Quoad spec. cf. ll. spr. cc.

Frutex alte scandens (erratim in Diagn. et Endl. arbor dictus!) in omnibus partibus vegetis rubropunctatus; rami teretes glabri, juveniles cum inflorescentiae ramis rufo-puberuli; folia alterna

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0202-4

aut subopposita aut bijuga aut foliolum terminale solitarium (2—0-juga, quod e lapsu calami in Diagn. et Endl. ll. cc. 2—8-jug. in Catal. 2—10-jug. impressum est), foliola ovalia aut ovato-oblonga imoque elliptica cum rhachi glaberrima supra lucida nervosa minutissime sed ubique rubro-glandulosa, basi rotundata aut levissime cordata; inflorescentia paniculata ramosissima terminalis, flores brevipedicellati; calyx 5-partitus liber; laciniae lineari-lanceolatae acutae, dein marcescentes persistentes, basis diu vegeta; petala ante anthesin imbricata (?) hypogyna, 0,1 poll. longa, calycem excedentia, post anthesin contorta et operculi instar basi 5-fidi dein decidua; stamina 5, filamenta ima basi connata dein libera erecta capillaria, antherae minutae subglobosae; germen breviter stipitatum subglobosum, a latere paullo compressum extus sericeum uniloculatum; gemmula unica basi insidens; stylus longus filiformis terminalis post anthesin sublateralis; stigma subcapitatum; fructus bacca corticata nephroidea, basi in stipitem attenuata, supra basin intumescens, altero latere magis attenuata laete sanguinea intus endocarpio chartaceo sericeo vestita uniloculata monosperma; semen lateraliter affixum, in extremitate inferiore arillo ad margines lobato crasso carnoso aurantiaco tectum, nephroideum, spermodermis exospermium rubiginosum lucens dein extensione embryi rumpens a mesospermio spongioso solubile, endospermium chartaceum intus laeve; embryum exalbuminosum, cotyledones crassissimae rectae virides, punctulis plurimis purpureis viridiferrugineis notatae carnosae; radicula in seminis extremitate superiore centrifuga crassa brevis, a cotyledonibus inclusa, plumula crassiuscula foliolis indistinctis. Nomen sundense *Kihanjier*.

Anacardium occidentale L. β. indicum DeC.

Quoad spec. et variet. cf. DeC. Prdr. II. 62. (Anacardium occidentale Bl. Bydr. 1155. Wght. et Arn. Prdr. I. 168. 522. cum citat.) Wlld. Sp. pl. II. 468. Grtn. fruct. I. 192. Piso hist. nat. p. 120. mantiss. arom. p. 193. — Descrpt. optimam vid. Rmph. amb. I. 177. et Pis. l. c. Folia odorifera 3—5 poll. longa, 2—2,5 poll. lata in ramis floriferis. Stamina 9 rite evoluta, calycis laciniis breviora, decimo petalorum longitudine, antherae omnes similes biloculatae subcurvatae lilacinae; pedicellus fructus carnosus primo melinus, dein apice coccineus basi puniceus, diametro verticali 1,5 poll. transversali 1—1,2 poll., caro flavescenti-albida suaveolens; descriptionem fructus optimam vid. Grtn.! l. c.; substantia media putaminis oleoso-glutinosa aromatica intra cellulas; de oleo empyreumatico hocce, quod singulo gaudet odore, vid. Pis. mantss. l. c. — Nomen sundense *Djambu monjet* i. e. Jambosa simiarum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0203-0

Semecarpus Anacardium L.

Quoad speciem cf. DcC. Prdr. II. 62. Wlld. Spec. I. 1477. Wght. Arn. Prdr. I. 168. 523. Bl. Bydr. 1156. (Anacardium encardium Nor. relatio plt. jav. in Verh. Bat. Gen. V. 67.) Rmph. amb. I. 179. t. 70., cujus descriptio optima. Wlld. l. c. folia habet ramosque pilosos, in nostro specimine (et auctoribus Wght. et Arn.) vix puberulos; DeCand. l. c. tres enumerat varietates, quas forsan species distinctas censet, sed in eadem arbore omnes haec modificationes reperiri possunt etsi folia saepius utrinque acuminata evadant. Quoad fructus vid. Gaertn. frct. I. 192. t. 40. Nomen sundense: Rünghas.

Bouea oppositifolia Msn.

Quoad spec. cf. Mangifera oppositifolia Rxb. Bl. Bydr. 1157. DeC. Prdr. II. 63. 4. Foliis oppositis petiolatis ovato-lanceolatis basi rotundatis aut utrinque attenuatis glaberrimis lucidis coriaceis majusculis, paniculis folio brevioribus. (Mangifera acida Nor. Verh. bot. Genootsch. V. 80.) Nom. sundense *Gunarjah*, malaicum *Gondaria*.

Spondias Wirtgenii Hsskl.

Quoad Gen. cf. Hsskl. Diagn. nov. 185. Catal. hrt. bog. 1083. 1. (*Wirtgenia* Jnghn. in litt.) *Protium*, cui clss. *Blume* (Rmphia II. V.) pariter ac egomet primo visu affinem diximus arborem hancce, differt: floribus diclinibus, germine 3 (?)-loculato, gemmulis in loculis binis, stylo solitario simplici, stigmate indiviso, praefloratione valvata (Endl. Gen. 5929.). — *Bursera* differt: praefloratione valvata, germine 3-loculato; gemmulis in loculis binis (Endl. Gen. 5923.). — *Spondias*, cui ipse clb. *Junghuhnius* in litteris adfinem laudat arborem nostram, vix aut ne vix quidem differre videtur, ni fructibus, frustra hucusque a me quaesitis, differat; Junghuhnius in horto bot. bogoriensi binas reperit species, quarum una tantum mihi obviam venit; *priorem* (sub nomine *W. octandrae*) numero florum 4-nario, spicis simplicibus aggregatis, alabastro oblongo, — *alteram* (sub nomine *W. decandrae*) numero florum 5nario, spicis paniculatis, alabastro globoso distinxit.*) In priori autem flores 4-narios

---

*) Liceat mihi hoc loco addere, quae Junghuhnius mihi benevole in litteris de hisce binis speciebus communicavit:

Wirtgenia octandra Jungh. Arbor 30—40 ped. trunco laevi griseo 10pedali circiter ramis gracilibus subsimplicibus elongatis coronato; folia simpliciter pinnata cum impari 6—10-juga; foliola cum petiolis et rhachi laevia subundulata, coriaceo-membranacea breviter petiolata ovato-oblonga, basi inaequalia, latere inferiore plerumque angustiore, magis attenuato, longe acuminata, acumine obtusiusculo, venis reticulatis pellucidis; inflorescentia spicata, flores nempe in pedunculo communi sparsi (saepius bini s. terni s. verticillati) laxe spicati; spicae sessiles fasciculatim s. umbellatim ex ramis terminalibus ipsis nudis erumpentes; rami floriferi foliis destituti; calycis sepala 4 ovata obtusa; petala 4 sepalis alterna oblonga obtusa, ante flo-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0204-5

una cum 5-nariis reperi, quare signum hoc haud sufficere potest et valde suspicor, fore ut clb. *Junghuhnius Spondias Mangiferam* Pers. pro Wirtgenia decandra sumserit.

Quoad speciem cf. Hsskl. ll. cc. et *Sp. acuminata* Rxb. W. et A. Prdr. I. 173. 534., cui forsan synonyma habent ipsi autores *Solenocarpum indicam* W. et A. l. c. 171. 529. (Wlp. Rprt. I. 556. 2. et 550. 5900. 1. Endl. Gen. 5900.), sed folia remote crenata opponunt.

Arbor 30 — 40 ped. alta, trunco tereti cinereo albo, ramis patenti-erectis crassis virescenti-cinereis, cortice crasso, ligno albido, tubo medullari crasso, medulla viridi farcto; folia sparsa pinnata cum impari; rhachis basi incrassata glaucescens, cicatricem triangularem subcordatum in ramis efficiens, supra basin teres, supra rubens subtus viridis lepidote tomentosus; foliola 5 — 6-juga breviter petiolulata ovato-oblonga integerrima basi rotundata aut plerumque acuto-attenuata apice in acumen tenue obliquum producta 3 — 6 poll. longa,

---

rescentiam valvatim conniventia, flosculum oblongum (nec globosum) sistentia, erecta dein reflexa margineque revoluta e luteo-pallide-virescentia; stamina 8 brevissima, germine (cum stylis) dimidio breviora, erecta, antheris bilocularibus; germina 4 oblonga superne in unum concreta cylindricum pro ratione majusculum monospermum, stylis totidem brevibus crassiusculis obtusis erectis coronata; styli petalis oppositi; annulus nectarioides angustissimus obsoletus; fructus? . . .

Wirtgenia decandra Jungh. mss. Magnitudo arboris, habitus, folia, vires et virtutes omnino prioris, cum qua structuram organorum fructificationis alienam non respicientes plane eandem duceremus; inflorescentia laxe paniculata, ramis primariis trunci erumpens, ramulis paniculae crassis omnino nudis laevibus succosis, ramulis lateralibus remotis horizontali-patulis, ramo primario verticali (centrali) geniculatim immersis, floribus in ramulis remote spicatis glomerulatis sessilibus nempe ternis, quaternis pluribusve, pedicello brevissimo crasso cylindrico suffultis; calyx minutus 5-dentatus, dentibus brevibus obtusiusculis; petala sepalis alterna basi lata ovata acuta planiuscula (margine haud revoluta) patula (haud reflexa) primum valvatim conniventia, flosculum globosum, piso dimidio minorem (sed speciei antecedentis plus duplo majorem) sistentia candida; stamina 10 erecta, tuberculis nectariis alterna cum petalis sub annulo inserta, filamentis brevibus, antheris 2-locularibus; nectarium annulare eximium pro ratione maximum in tubercula 10 elevatum basin germinis cingens; germina supera 5 monostyla, petalis opposita basi subconnata, stylis totidem brevibus crassis erectis obtusis coronata; fructus? . .

Species uti supra commemoravi certe ad Sp. mangiferam Pers. Wght. Arn. Prdr. I. 173. 533. DeC. Prdr. II. 75. 3. pertinet! — (Wlp. Rprt. I. 556. 5920. 1.)

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0205-1

1,5 — 2,0 poll. lata, utrinque glaberrima subtus opaca supra nitida; inflorescentia in arbore aphylla spicata lateralis (in axilla cicatricis folii delapsi); spicae 4 — plures aggregatae erecto-patentes 2 — 4 poll. longae; rhachis teres viridi-tomentosa; flores solitarii sparsi tetrameri, in flore centrali inflorescentiae 5meri hermaphroditi; calyx 4—5-partitus, subtomentosus viridis, laciniae ovato-acutae erectae; corolla 4 — 5-petala; petala patentia ovato-oblonga acutiuscula calycem plus duplo superantia viridi-flavescentia, annulo germen cingenti vix elato inserta, in praefloratione imbricata! Stamina 8 — 10, calycis laciniis petalisque opposita; filamenta brevia calycem aequantia; antherae incumbentes introrsum longitudinaliter rima duplici dehiscentes, oblongae; germen unicum subglobosum, gemmula unica praeditum, miniatum; styli 3 — 5 distantes breves crassi; stigma capitato-papillosum hinc (in flore terminali) rarius alterum bifidum. Fructus desiderantur! — Nomen sundense: *Kadongdong*, malaicum: *Kuda kuda sabrang* (lignum equinum exoticum) javanicum: *Kaju djaran sabrang* (idem ac nom. mal. significans).

Schweizerische Zeitschrift für Land- und Gartenbau. (Im 2. Jahrg. mit d. Beisatze: Organ des Vereines für Land- und Gartenbau im Kanton Zürich.) Herausgegeben von Dr. O. Heer, Prof., Dir. d. bot. Gartens, und Ed. Regel, Obergärtner. Erster Jahrg. Zürich, Meyer und Zeller. 1843. gr. 8. (Monatl. 1 Nr., à 1 Bog., selten 1 ½ B., eng gedruckt; auch in halbjähr. Heften. 1 fl. 45 kr. rh.) Zweiter Jahrg. Nr. 1 — 3.

Diese neue Zeitschrift, die ausser den Gegenständen anderer ökonomischer und Gartenbau-Schriften auch besondere Rücksicht auf die so mannigfach verschiedene Beschaffenheit des Bodens, seine Erhebung und Exposition und seine Getheiltheit zur Aufgabe hat, wird dabei von den patriotischen Herausgebern benutzt, die Behörden wie das Volk dringend zu mahnen, vielen nur zu lange nicht gehemmten Verwüstungen (— der Wälder durch Menschenhand, der Thäler und Abhänge durch Gewässer —) ein Ziel zu setzen und Manches wieder gut zu machen durch hier vorgeschlagene Mittel. Das Zusam-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0206-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1844

Band/Volume: 27

Autor(en)/Author(s): Hasskarl C.

Artikel/Article: Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes 615-626